130

Doctori Romphio. Amplissime ac Doctissime Vir.

(363)

Rogat et mandat, cujus nobis postulata, impéria sunt, ut voluntas pro ratione, ut serenissimam Uxorem ne deseras, donec ejus valetudinem confirmatam videris, adeò ut tutò ac impunè Hagam transferri possit, aut quòcumque libuerit. Vale Vir amice et ama

Tuum.

Maldeghem 18 Jul. 1644. C. H.

Barlæo. Amplissime ac doctissime Barlæe (364).

Est in epithalassiis Bataviæ nobilis sive vicus, sive municipium, sive pagus, sive, ut volunt nuperi magnæ Urbis Epoptæ Metropolis vel Emporium aulicum, cui, nisi fallor Haga nomen est. In eo mihi domunculam habitari ajunt, quæ tribus acroteriis, totidem foeminarum gerulis, salutare subintroitum videtur advenas peregrinos, nisi quod hæ vivas bipedes austeritate suà creduntur arcere, et novercæ inprimis erga novercas esse. Heic si deponi cures quas ad me in posterum, pertæsus otij, literas daturus es, curabuntur scilicet quam ocyssimè, et quindecim sic totos dies compendii facies. nam, ut è paraphrasi prodeam quas ad me 4. Julii dabas, hodie 20. redditæ fuerunt. Tanto circuitu tantillum dixi. Itaque quod reliquum est, triduò ut nuptiis tuis ut intersim, jubeo. Benè est choragem mi, et adero, si quà tamen me instruxeris Dædalea merce, et è talis vel galerulo facundi Nepotis vel τῆς ἱπποκερύκης volucri, fossore, plumulam transmiseris, nam ut nunc est, non sum volandi peritior, quam aut ardea natandi, aut levissima molarum. De primogenito item quod mones, curabitur proximis ab hisce nuptiis utrinque nomine ut accedat, patris et suo, nunc uterque se ut excusatos habeas, efflictim rogant. Quemadmodum è paraphrasi modò, nunc è joco item prodire lubet, et increpare te quidem seriò, mi Barlæe, quod sive serius, sive ridens effari ausus sis exiguo me Rhenensi cadulo quidquam retribuere intendisse, quod illustris operæ

per te